



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Offa confessor 12. Octob.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

*Pudicitia
nunquam
temerata.
Carnis ma-
ceratio.
Sensum cu-
stodiam.*

Fuga orij.

*Tentationi
prudenter
occurrit.*

incredibilem ex monasteriorum frequen-
tatione ac præsertim ædis Diui Dominici, in qua
vt plurimum versabatur, accepit voluptatem.
Atq; ita ad Christi castra se trãserens, summa
cum humilitate B. Dominici institutum am-
plexus est: & dedicatam Deo pudicitiam vsq;
ad vitæ exitum ita seruauit, vt nihil eo purius
ac mundius conspiceretur. Nam præterquam
quòd suum corpusculũ asperrimè domabat,
vigilijs quoque, orationibus, ieiunijs, & alijs
multis macerabat modis: oculos suos diligen-
tissimè custodiebat, ne quid intuerentur quod
ad libidinem prouocaret, atq; ob eã rem nun-
quam otiosus erat. Nunquam illum sine nego-
tio dies, nunquam nox inueniebat. Quod si
quãdo egredi in publicum cogebatur, impen-
se Deum rogabat, vt se custodiret, & suas auer-
teret oculos ne vanitatem cernerent. Quod si
quando vestigium forte aliquod libidinum
excitabatur, continuo Christi cruciatus innum-
merabiles ad memoriam reuocabat: quo qui-
dem tanquam subito imbre, illud quicquid e-
rat incendij restinguebatur.

EXEMPLVM B. OFF. CONFESSO-
ris, filij Sigeri Regis orientalium Saxonum in Anglia,
habetur in vita S. V. Vilfridi Epif. Eboracen-
sis authore V. Beda, 12. Octob.

Sur. Tom. 5.

ANno Imperij Hofredi quarto, Coenre-
dus, qui regno Merciorum nobilissimè
tem-

tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo scepra regni reliquit. Nam Romam Constantino Pontifice veniens ac monachus factus, ad limina Apostolorum in precibus, ieiunijs & eleemosynis vsq; ad diem permanfit extremum. Venit autem cum illo & filius Sigeri, regis orientalium Saxonum vocabulo Offa, iuuenis amantissimæ ætatis & venustatis, totiq; suæ genti ad tenenda regni scepra exoptatissimus. Qui pari ductus deuotione mentis, Christi amore vxorem, agros, cognatos, patriamque reliquit, vt in hac vita centuplum acciperet, & in futura vitam æternam. Et ipse ergo vbi ad loca sancta Romam peruenerunt, attonsus & in monachico habitu vitam complens, ad visionem beatorum Apostolorum in cælis diu desideratam peruenit.

PVERITIA S. BURCHARDI HERBIPOLENSIS EPISCOPI. 14. Octob.

Sur. Tom. 5.

Burchardus prænobili apud Anglos natus familia, indecorû ratus illustrem sui generis, morum nebulis obfuscare parætalam, intra primos ætatis annos probitatis cœpit luce splendescere. Cum enim à religiosis parentibus literis admoueretur, nemo eum reperisset puerilibus addictû leuitatibus: sed aut studijs deditum liberalibus, aut Ecclesiarû limina terentem, seu quibuslibet alijs bonæ indolis indicijs immorantem. Creuit etiam in eo cum

Maturitas
morum.
Fuga otij.
Pietas.

Ee annis